

Ach! quàm sæpè rigat *Venus* tum corpora *Sudor*,  
Immergunt Studiis se benè quando fitis.  
Sic, HAMMERE, tuum corpus vultumque rigavit  
Sæpius hic *Sudor* continuusque labor.  
Jamque rigat. *Physicis agris* conamine multo  
Immergis dum Te; Prodere ritè *studes*,  
Augmentario quid sit, jam defendis & Arte  
Hanc dum materiam, non. mihi crede, *levem*.  
Hicce Tibi *Sudor* propinat digna brabca;  
*Immerget* Pallas munera quando Tibi.  
*Avstio* Sudorem mox, Opto, sequatur Honorum  
Decrescens nunquam nominis atque Tui.

*Paucula hæc honoris & Amoris  
urgò addere volebat*  
M. Sigfrid Ufauus Sorâ Lusatus,  
SS. Theol: Studiosus.

Feliciter!

**A**ttica te virtus decorat, te *Suada* coronat,  
Et tua Romanum gloria currit iter.  
*Ingenue Phæbum* colis, aternasq; *Camænas*,  
*Invigilas* illis, ingenioq; *viges*.  
*Qualis* apis dulces flores collibat *Hymetti*,  
*Consurgis* genii fertilis *Hybla* tui.  
*Gratulor* hisce, tuam post hæc *dito* famam,  
*Adstet* ceptis summus *Iovis* tuis.  
*Sic* tua non poterit tenebescere gloria, virtus  
*Clara* sed in mediâ nocte *Pyropus* erit.

Eximio & Literatissimo Dn. Respondenti  
Disputationis hujus Autori Industrio,  
Amico meo sincere colendo, amando  
*L. M. Q. fac.*  
M. Georgius Försterus Marglifsâ  
Lusatus, SS. Theol: stud.



EXERCITATIO ACADEMICA IV.  
*De*  
EXISTENTIA,

*Quam*  
in Jubilæi Academici Salani,

*d. 2. & seqq. Februarii celebrati,*

memoriam,

DEI & Superiorum indultu,

PRÆSIDE

M. CHRISTOPHORO HEINRICO  
LOEBERO, Amplissimæ Facultatis Philo-

sophicæ Adjuncto,

*publicè habendam*

exhibet

SAMUEL Sommer/Mellenbachio, Schvvarzburgicus,

AUTOR,

*Ad d. Februarii,*

anni, quo

Grata Dies festos Celebrabat Iena  
trIVMphans.

*Prelo* FRETSCHMIDIANO.





EXERCITATIO ACADEMICA IV.  
EXISTENTIA

in Iubiliæ Academiæ Salanæ

DEI

M. CHRISTOPHORO HEINRICO

LORENZO

SAMUEL



426404



DISPUTATIO METAPHYSICA  
DE  
EXISTENTIA.

**N**obilissimam ac utilissimam de Ex-  
istentiâ doctrinam multis ac variis difficultatibus  
esse circumseptam ac involutam, non ignotum  
esse potest ei, qui tot acutorum ingeniorum de  
eâ Commentationes legerit, vel saltem viderit.

Hinc non immeritò conq̄eritur Petrus Hurtadus de Mendoza  
in proam. disp. Metaph. 8. De quibus, inquit, longam & mille dif-  
ficultatibus plexam disputationem nobis dant obscuri Philosophi, no-  
dum in scirpo querentes, & ingeniî specie obrebrantes ea, quibus i-  
psa natura lumen affulget. Aleam itaque jacturi, & de Existentiâ  
pro juvenilibus viribus acturi, si quâ lapsi fuerimus, veni-  
am nobis certò promittimus.

§. 2. Duo verò sunt, quæ aliàs primo loco in materia  
alicujus expositione pertractari solent; an res sit, de quâ qua-  
ritur; & quid ea sit? Hinc Cicero lib. 1. Offic. Omnis, inquit, qua  
à ratione suscipitur de aliquâ re institutio, debet à definitione profi-  
cisci, ut intelligatur id, de quo disputatur. Quia tamen Existenti-  
am dari, nemo unquam vocavit in dubium, idcò, ut in præ-  
senti de priori questione magno laboremus opere, non est o-  
peræ pretium. In id verò laborandum est, ut rationabili con-  
suetudine, paucis de vocis Etymologiâ, Homonymiâ & Syno-  
nymâ præmissis, cognoscere queamus, quid sit id, de quo  
queritur, ut exactior, & facilior in abstrusam aliorum co-  
gnitionem detur penetratio.

§. 3. Etymologia igitur, quæ haud rarò proprietatem  
rei ostendit, & quasi putamen est, quò non fracto, ad nucle-  
um pervenire non datur, primo loco in scenam producimus.  
Quamvis non opus sit, nimis anxie in patales existentiâ inqui-  
rere,



rere, cum cuilibet facile pateat, eam non esse vocabulum natum sive simplex, sed deductum a verbo *existere*, compositumque ex verbo *Sistere*, & præpositione *Ex*, quod conjunctim sumptum significat ex causis *sistere*, ita ut *existentia* quasi dicatur, *ex-sistentia*, vel *extra-sistentia*, quod per eam res ex causis, sive ut aliis loqui placet, extra sibi oppositam potentiam obiectivam sistatur.

*Homonymia  
evoluto ne-  
cessaria est;*

§. 4. Accessum nunc faciamus ad Homonymiam, matrem illam errorum, quamque variè *εξιστηνεια* usurpetur, paululum lustremus. *Adversatatem* enim ait *Simplicium in commentario ad Prædicam. Arist. de relat. plurimum conferre solet significatorum distinctio*. Et lib. I. de Cæl. c. 11. in principio inquit Philosophus: *πολλαχῶς γὰρ λεγόμενον, καὶ μηδὲν διαφέρει πρὸς τὸν λόγον αἰάγκη τὴν διάνοιαν ἀορίστως εἶχεν, αὐτὸς τὴ δια-βρωμῶν πολλαχῶς ὡς ἀδιουρέτω ζῆται.* Nam cum multipliciter dicantur, & si nihil ad rationem confert, mentem se indefinè habere necessum est, si quispiam in indivisibili eo utatur, quod multis dividatur modis. Et recte iterum *Aristotele lib. 1. de gener. & corrupt. cap. 6. ὀνομάτων ἑκάστου* ferme *πολλαχῶς* dicitur, & nisi quis liberet ab ambiguitate, facile potest fieri id, quod solet illis, qui in pharmacopolis pyxidumignari, *Quid pro Quo* accipiunt; id quod *Arist. lib. Elench. Sophist. cap. 1* alio simili à calculis desumpto illustrare voluit. In arte enim Arithmetica ponuntur calculi, & pro diversâ ratione positus norant unitatem; quinarium, denarium, centenarium, &c. jam si quis non sit in eâ positus diversitate exercitatus, facile accidere potest, ut quinarium pro unitate, aut denarium pro quinario accipiat: Ad eundem modum, qui non novit vim & significata nominum, ille non solum alios in errorem præcipitare, sed etiam seipsum involvere, vel minimum ab alio falli potest. Quia itaque æquivocationis evolutio maxime utilis ac necessaria est, ideo etiam diversa *Existentiæ* significata: quæ nonnulli *Metaphysici* eidem tribuunt, enarrabimus.

*Existere sumi-  
tur tripliciter*

§. 5. Sunt, qui dicant, *Esse* seu *Existere*, significare nunquam *Subsistere*; non quidem late loquendo, prout *subsistentia* cuius convenit *substantiæ*; sed strictè, prout illi tantum

tantum competit, quæ *Aristoteli τ'δὲ π* audit, & notat *substantiam definitam & determinatam certâ specie aut formâ, uno verbo, Suppositum*. Ita inter alios *Thomam* τὸ *esse* sumere, notat *Mendozac. l. sect. 4. subsect. 2. §. 42*. Hæc ratione non solum *accidentibus*, quæ non per se, sed κατ' ἄλλω, nimirum *ὑποκειμένων ὑπάρχει, lib. Categ. cap. 11. lib. 1. poster. IV. lib. VII. Metaph. cap. XIII.* sed etiam *substantiis nonnullis*, iis scilicet quib. *suppositalitas* non convenit, *esse* seu *existentia* denegatur:

§. 6. Sunt, qui longius progrediantur, *existere* accipientes pro modo *substandi*, quò *substantiæ* cuius, sive ea τὸδὲ π significet, sive non, *existentia* adscribitur; *accidentibus* autem denegatur. His, inquam, modis vocem istam sumi, docent nonnulli. Antamen istæ acceptiones fundamentum habeant, dubitare possemus, disputare interim hæc vice nolumus.

§. 7. Sunt tandem, qui propius ad rem accedentes, famosam illam arripiant *significationem*, quâ quælibet res dicitur *existere* sive sit *substantia*, sive *accidens*; sive quid simplex, sive compositum; sive pars, sive totum, modò actu sit in rerum natura. Et in hoc quoque, qui proprius & usitatus est, *significatu*, nos, quando de *Existentiâ* agere instituimus, vocem istam sumimus.

§. 8. Superest, ut de *synonymiâ Existentiæ* dicamus, *Synonymia*. Subtilis ille Doctor *Johannes Duns Scotus IV. sent. distinct. XII. quest. 1.* primus indigitavit *Existentiâ* nomine *actus Entitativi*, & *materiæ primæ* attribuit; quâ in parte ipsi masculinè sese opponunt *Thomista*, inter alios acerrimè *Zabarella*, de quo infra videbimus. Vocat autem *Scotus* *Existentiâ* rectè *actum Entitativum*; *Actum*, quia, per quod quid actu est, id est *actus*, v. g. anima nostra rationalis, vocatur *actus*, quia est id per quod homo actu est homo. & *scientia* potest dici *actus*, quòd per illam aliquis dicatur *sciens*. Jam autem per *existentiam* res actu est in rerum natura. E ea rectè *actus* dicitur. *Entitativum* verò vocat, quia ad omne eius necessariò requiritur, ut existat, & per hoc aliquid ens est, quòd existit. *Existentiâ* *Aegidius Romanus q. 1. p. 77.* vocat *actum obiectivum*, forsan ideo, quòd res, quæ per eam existit, dicatur *esse extra-*



potentiam objectivam. Vocatur etiam *actus Metaphysicus*, quia non ut actus Physicus sive formalis, id est, forma, differt ab eo, quod actuatur, sed solum ratione, quae distinctio inter partes Metaphysicas reperitur. Atque haec de Nomine.

*Descriptiones  
existentia.*

§. 9. Quemadmodum supra diximus, Autores in assumenda voci *Existentia* significatione in diversas abire partes, ita etiam in assignanda definitione variè variant. Nos, non negantes, in transcendentibus & universalissimis non posse haberi definitionem exactam, de tali non laborabimus, sed relicta aliis, communiores *Existentia* descriptiones producemus, quarum una haec est: *Existentia est actus, quo res est extra nihil*; altera: *Existentia est actus, quo res constituitur extra suas causas*. In quibus qualibuscunque descriptionibus conceptus contrahibilis, sive communis est actus, quem de *Existentia* rectè dici, jam in thesi praeced. dictum fuit. Conceptus verò contrahens, sive proprius, in descriptione altera est: *quo res est extra nihil*: quae satis clara sunt; in altera notatur verbis: *quo aliquid constituitur extra causas suas*. Haec quoniam sunt minus clarè posita, nec adaequatè existentiae rationem, prout æquè Deo atque creaturis competit, videntur exprimere, nobis erit videndum, quo sensu capienda sint haec verba, ut ad *Existentiam* signatè, hoc est, universaliter spectatam, applicari, & dubiis, quae circa ea moveri solent, satisfieri possit.

*Obj. 1.*

§. 10. Et primò quidem objecerit forsan aliquis, assignatam definitionem non convenire rebus compositis, utpote, quae non sunt extra suas causas, materiam scilicet & formam, teste *Philosopho lib. IV. Phys. c. III.* totum esse in partibus suis, non extra eas, docente. Ad quam objectionem, quae tanti momenti non videtur esse, ut nos moveat, respondemus, *extra causas suas esse*, non esse hoc loco idem, atque separatum, esse à causis, quod praesens objectio intendit; sed vi causarum & per eas productum esse. Id quod verbis haud obscurioribus (quae cum ad rem faciant, placuit, prout jacent, dare,) *B. Stalud*, acutissimus quondam Philosophus, & Praceptor noster desideratissimus, in *Discursu ad Tab. Metaph. pag. 51.* illustravit: *Dormus*, inquit, aliqua, quando nondum est extructa, non est extra suas causas. *Causa enim ejus sunt ligna, lapides, item fabri*

*& alia, in quibus consistit dormus, quando nondum extructa est; si autem extructa est, tunc, est constituta extra suas causas. Intra causas enim contineri, est, quando adsunt causa, quarum vires potèst fieri in rerum natura. Quando autem res ab aliis causis est producta, tunc illa res dicitur esse extra suas causas.* Licet igitur compositum non sit à partibus essentialibus, quae sunt causae ejus internae, separatam, tamen est extra eas, eo modo, quo jam explicavimus.

§. 11. Sed adhuc obstat, quòd haec descriptio sit nimis lata, & conveniat alicui, quod non est rei alicujus existentia. Actio enim, quae producitur homo, est actus talis, per quae homo extra causas suas est, ut patet; ac ita convenit illi descriptio *Existentia*; quae tamen humana existentia non est. Ad hoc ut respondeatur monendum ex *Thomà Comptono Carletonio Diss. Metaph. V. sect. 1. n. 2.* dupliciter posse rem per aliquid esse extra causas, aut *causaliter*, seu effectivè, aut *formaliter*, seu ut id se habeat per modum formae. Jam quando dicitur, existentiam esse actum, per quem aliquid extra causas suas est, sensus est, per eam aliquid extra causas esse formaliter; per actionem autem res non formaliter, sed causaliter est extra suas causas.

§. 12. Ut ut verò haec ita sint, negari tamen non potest, descriptionem, prout jacet, non convenire cuivis, sed tantum existentiae creatae. Nam ens increatum sui causas non agnoscit, adeoque per existentiam suam non est extra suas causas. Non tamen desunt, qui putent, eam posse latiore reddi, si nempe omittatur particula *Suas*, h. m. *Existentia est actus, quo aliquid est extra causas*. Hoc modo eam non solum creatae, sed etià increatae existentiae comodè aptari posse, rectè docent. *Extra causas* enim constitui, sumitur dupliciter, 1. *Positivè*, prout idem est, quod per influxum causarum esse productum. 2. *Negativè*, ut idem sit ac non latere in causis, ac ita non esse in potentia objectivà. Si posteriori modo phrasia illa sumatur, cujusvis rei existentiae convenit ista descriptio, etiam increatae. Deus enim non minus ac aliae res, est extra causas, i. e. non latet in causis, à quibus produci possit, cum nec unquam in illis latitaverit, sed à seipso esse suum habeat.

§. 13. Dicis, ne sic quidem procedere istam descriptionem: Ratio est, quia ea etiam non entia convenire videtur, de

*Obj. 2.*

*Resp.*

*Descriptio angusta*

*latior redduntur.*

*Obj.*



de quo rectè dicitur, quòd sit extra causas, si phrasis hæc sumatur negativè. Chimæra, causâ verbi, est extra causas, quia non latet in causis, cum ea à nullâ potentiâ produci possit, ut volunt communiter. Verùm & hæc obiectio excludi potest non difficulter. Licet enim de ente rationis dici queat, quòd non lateat in causis, tamen ipsi tota existentia descriptio applicari non potest. Actus enim, quo id extra causas fit, nullo jure eidem adscribi potest.

Resp.

3. 10

Obj.

Resp.

un or

ib hoc volit

Q. an existentiâ ab essentiâ differat realiter?

§. 14. Stat ergò hæctenus declarata descriptio, quæ ab alterâ, quam supra tradidimus, sensu non discrepat, si explicetur istò modò, quem thesibus præced. inculcavimus. In mundo tamen adhuc est, quo utraque impugnari & vitiositatis argui possit. Scilicet ea convénit formis substantialibus, quæ tamen non sunt ipsa existentia formaliter. Etenim forma substantialis est talis actus, quo res extra nihil ponitur. v. g. per animam rationalem fit, ut homo non sit nihil, & non amplius in causarum virtute lateat. Verùm & hoc dubium solvi potest, si dicatur descriptiones datas esse cum exclusione fumendas, h. m. existentia est actus, quo res tantùm est extra nihil & tantùm extra causas. Quo modò illæ non conveniunt substantialibus formis. Hæ enim licet aliquid extra causas & extra nihil ponant, id tamen non tantùm faciunt, sed etiam materiam determinant ad certam entis speciem, quam intrinsicè constituunt.

§. 15. Philippus à Sanctissimâ Trinitate loco mox dicendo, articulo 4. docet non esse existentia effectum formalem, ponere rem utcunque extra causas: sed positam extra causas ultimò complere. Verùm, omne complementum, rei extra nihil seu causas suas constitutæ adveniens, supervacaneum esse, & ad existentiam non requiri, dicendum est; utpote sine quo jamdum res actu fit & existat. Ut hæc clariora fiant, aggrediemur illam gravissimam controversiam; an existentia rei ab ejusdem essentiâ realiter differat? V. g. an in Petro existente duæ dentur entitates, quarum una sit essentia, altera verò existentia? Sicut in corpore albo duæ dantur distinctæ entitates, subiectum & albedo? De quâ, ut fieri solet, divorsæ extant sententiæ.

§. 16. Quidam asserunt, existentiam ab essentia distinguere realiter & nemine cogitante. Ita Cajet. 1. p. q. 3. m. 4. Capreol. in 1. d. 8. q. 1. n. 1. Ferrar. l. 2. cont. gent. c. 25. Soncin. 4. Metaph. q. 12. Bannez. 1. p. q. 3. a. 4. Molina. 1. p. q. 3. a. 4. d. 2. Albert. de prædic. substant. d. 21. q. 1. quos citat Thomas Comptonus Carleton. c. 1. sect. 1. item rigorosus ille Thomista Philippus à Sanctissimâ Trinitate part. 3. sum. Philosoph. q. 19. artic. 2. & alii, qui apud Suarez. disp. 31. met. sect. 1. num. 3. & 11. alibi que videri possunt. Est quidem inter eosdem aliqua discrepantia; quibusdam modalem tantum, quibusdam realem strictè dictam distinctionem inter existentiam & essentiam queritantibus: Quia tamen hi iisdem argumentis oppugnari possunt, ideò conjungere eos placuit.

Aff.

§. 17. Neque verò isthæc sententia omni planè probabilitate destituitur, sed pluribus rationibus confirmari solet. Nos ea, quæ pro se affert & urget dictus Philippus, in primâ acie constituemus, iisdem que unum atque alterum argumentum, aliunde petita, subjungemus.

§. 18. Primò itaque rectè monet ille, non esse questionem de essentiâ & existentia divinâ. Extra controversiam enim esse, quòd ea in DEO non differant realiter, utpote in quo non datur alio quòd alio. Esse ergò questionem solùm de existentia & essentiâ rerum creatarum. Deinde dicit, entis creati essentiam posse considerari in duplici statu, possibili sc. & actuali. De essentiâ possibili rectè affirmat, quòd ea nullum esse reale habeat, adeoque ab existentia distingvatur realiter negativè: de quo legi potest etiam Suarez c. 1. sect. 2. Questionem verò esse de essentiâ actuali, quæ reverà in rerum naturâ reperitur, an sc. hæc ab existentia differat realiter? Id quòd ibidem affirmat, & sequentibus confirmare studet.

Statq. controversie.

§. 19. Citat pro se Thomam (à cujus doctrinâ se ne latum unquam recedere velle, profitetur in præfatione) quem affirmat idem statuere in sequentibus locis 1. p. q. 3. art. 4. De ente & essentiâ, c. 5. 2. Cont. gent. c. 52. & 53.

Prob. 1.

§. 20. Sacra Scriptura, inquit, Concilia & Sancti Patres Communiter docent, proprium & peculiare ipsius DEI esse, quòd ejus essentia sit suum esse, juxta illud Exod. 3. Ego sum, quis sum, item:

2.



Qui est, misit me ad vos; Ergo in creaturis esse sive existentia differat realiter ab essentia. Et si quis dicat, hoc ipso distinctionem solum rationis probari, regerit, hanc solutionem non sufficere: Dari enim etiam in Deo distinctionem rationis inter esse & essentiam; ergo illum per hoc non distingui à creaturis.

§. 21. Verbum divinum assumpsit humanitatem sine propria existentia, communicando ei & personalitatem & existentiam secundum Thom. 3. p. 2. art. 2. E. existentia ab essentia creaturæ differt realiter.

§. 22. Essentia, quæ habet existentiam sibi identificatam, nullum habet accidens in se receptum. Sed nulla est creatura, quæ non habeat aliquod accidens. Ergo nulla essentia creata habet existentiam sibi identificatam. Major probatur, quia talis essentia est essentialiter suum esse, propterea, quia non recipit in se existentiam, quæ aliàs limitatur per essentiam; adeoque est actus purus, omni patiendi potentia destitutus.

§. 23. Essentia & existentia producuntur à diversis causis totalibus & non subordinatis: Essentia sc. à causâ secundâ principaliter, existentia à solo DEO principaliter. E. realiter distinguuntur. Antecedentis partem probat sequenti art. 3. & quidem 1. quod DEUS sit causa principalis existentia p. 357. hâc ratione: Omnis effectus secundum suam proportionem debet reduci in causam sibi proportionatam; ita ut si sit particularis debeat reduci in causam particularem; si universalis in causam universalem; si universalissimus, in causam universalissimam. Sed existentia est effectus omnium universalissimus, & quo non potest dari universalior, in ratione veri & realis effectus; nam reperitur in omnibus rebus realibus, sive sint substantiæ, sive accidentia. E. esse seu existentia est effectus proprius & immediatus causæ universalissimæ, scil. Dei; & ita solus DEUS est propria, principalis & proxima causa efficiens existentia, in omnib. reb. 2. quod creatura nō sit causa existentia principalis, sed instrumentalis, probat ex eo, quia existentia nec eminenter, nec formaliter in essentia creaturæ continetur, nec eam constituat in ratione principii quod, sed

sic tantum conditio sine qua non ad agendum; cum tamen ad causam principalem requiratur, ut ratio producenda aliquo istorum modorum in eâ reperiat. Hæc ille.

§. 24. Præterea inter alia urgeri possunt fundamenta sequentia. I. Existere hodiè non est existere heri aut cras, & tamen eadem est essentia hodiè & cras. E. essentia ab existentia distinguitur. II. Essentia rerum sunt æternæ, adeoque ingenerabiles & incorruptibiles; existentia verò creaturarum isto destituitur privilegio. E. essentia & existentia differunt realiter. III. Nihil potest concipi cum contradictorio ejus, quod secum identificatur, sicut homo non potest concipi cum negatione rationalitatis: Essentia autem potest concipi cum negatione existentia. E. differunt realiter.

§. 25. Verum, his non obstantibus, alii existentiam ab essentia non differre realiter statuunt. Hæc sententia inter alios tribuitur Halens. 7. Metaph. 1. 2. 2. Gab. in 3. d. 6. Aureolo apud Capreolum in 1. d. 8. q. 1. Gregor. in 2. d. 6. q. 1. Valentia 1. p. d. 1. q. 3. p. 1. §. 11. Oviedo Cont. Met. 2. p. 2. estque Rubi 1. Phys. 1. 1. 1. q. 4. Murc. 1. Phys. disp. 5. q. 4. §. Hinc primò, Mendoza cit. loc. sect. 4. n. 38. Svarzeii c. 1. sect. 4. Arriaga disp. met. 2. sect. 3. & Comptoni c. 1. Francisci bona Spei disput. Metaphys. 3. B. Stablii inter alia part. 2. Reg. disp. 9. reg. 4. §. 4. Slevogei in disp. de primo conceptu DEI §. 30. & de entis finiri ratione formali, sect. 3.

§. 26. Huic & nos nostrum adjicimus calculum, eamque sequentibus argumentis confirmamus. I. Si existentia differt realiter ab essentia, adeoque in eâ recipitur, sequitur recipi aliquid in eo, quod non existit; quod est absurdum. Ratio consequentiæ est: quia essentia in se spectata carebit existentia, quæ in eâ demum recipitur. II. Si existentia & essentia differunt realiter, potest DEUS per suam potentiam existentiam separare ab essentia, hâc salvâ manente, quod absurdum. Esse enim actu & existere, sunt idem: idè existentia à rei essentia, ita ut ea actu maneat, tolli per nullam potest potentiam. Plura videantur apud laudatos autores.

§. 27. Ea verò, quæ pro contrariâ adferuntur sententiâ, rationes cap. solvenda nunc veniunt. Quod itaque attinet 1. auctoritatem Thomæ, ea nos non stringit, posito, quod Thomas nobis adversetur: *respond ad*



secur: Interim tamen ipsum existentiam ab essentiâ distingvere realiter, non satis clarum est. *Carleton.* sanè c. l. omnia ejus dicta de distinctione rationis facile explicari posse, asserit, quod tamen nos in medio jam relinquimus.

Ad 2.

§. 28. Ad 2 est æquivocatio in hæc phrasi, quâ dicitur, DEI essentiam esse suum esse seu existere. Primò enim sensus est: DEUM habere suam indistinctam ab essentiâ existentiam. Si itaque hoc soli Deo convenit, certè creaturis denegandum erit, & ita in his existentia ab essentiâ realiter differet. At verò rem sic sese habere, nondum probatum est. Ipsa sanè creaturæ existentia h. m. est suum esse, & non habet distinctam existentiam à suâ essentiâ, adeoq; hoc non convenit soli Deo. Nec etiam Patres hoc sensu de Deo dixerunt, ipsius essentiam esse suum esse, nec iste ex Scriptura S. probari potest; sed longè alius: Videlicet, Deum ita esse, ut esse suum amittere & in nihilum redigi nunquam possit; per quod is à creaturis distinguitur, quæ esse & non esse possunt. Ex quo tamen nullum contra nos telum depromi posse, vel cæcus videt. Plura de hoc argumento vid. apud *Mend. c. l. §. 43. & seqq.*

Ad 3.

§. 29. Falsum omninò est, quòd in tertio dicitur, humanam Christi naturam propriâ carere existentia, omniq; fundamento destituitur; meritò ergò rejicitur. Nec *Thomas*, quando docet in Christo unum tantum esse divinum dari, sancto isti homini patrocinator; utpote qui esse pro subsistere usurpat, velut supra ex *Mendozâ* diximus.

4.

§. 30. Neq; in quarti majore apparet consequentia. Probationem ejus quod concernit, concedere possumus suo modo, essentiam creatam esse essentialiter suum esse, quia non distinguitur ab eâ & essentialiter ad eum requiritur, ut infra docetur: non tamen inde sequitur, eam esse actum purum. Falsa quoq; minor est, omne scil. ens habere accidens in se receptum: cum accidentis accidens non dari, Logico-rum pueri noverint.

5.

§. 31. Ultimum quod concernit, id multis abundat absurditatibus. Nam i. posito, existentiam & essentiam habere distinctas

etiam causas. ex tamen essent essentialiter subordinata. Causam enim secundam primæ essentialiter subordinari, nemo ignorat, qui primoribus vix labris Metaphysicam attigerit, & Causa secunda non solùm, sed etiam prima est essentia creatæ principalis causa. Ratio est, quia quicquid per causam secundam producitur, id etiam à primâ tanquam principali causâ dependet. 3. Falsum est, quod causa prima existentia principalis & secunda instrumentalis causa sit: sed utraque jure meritoq; principalis salutatur. Quotiescunque enim causa prima cum secunda concurrat ad effectum & influit indeterminate, toties causa secunda non est instrumentalis, sed principalis causa, ut alibi probatur. Jam ad existentiam creaturarum isto modo concurrat causa prima cum secundâ. E.

§. 32. Ad probationem 1. dicimus, si major sine exclusionem sumatur, eam admittere possumus; universalem scil. effectum esse reducendum ad causam universalem &c. Si verò cum exclusionem intelligatur, ut sensus sit, effectum universalem, i. e. qui in pluribus rebus invenitur, habere tantum causam universalem, ita ut non agnoscat particularem; ea est falsissima. Nam ut de eo nihil dicam, quòd causa universalis, ut talis, sine causâ particulari operari non possit, manifesta ei reclamant exempla. Sic v. g. humana natura communis est omnibus individuis humanis, quorum tamen esse etiam à causis secundis produci, est in propatulo. Et quid multa? Si argumentum hoc aliquid probaret, eodem jure probari posset, quòd essentia solùm Deum causam agnoscat, non autem creaturam, quia essentia æque universalis effectus est, ac existentia; quod tamen est contra nostrum Monachum. Ad probationem 2. dicimus, existentiam in essentiâ creaturæ formaliter contineri, ut infra dicitur. Reliqua quæ addere possemus, brevitati studentes, sicco præterimus pede.

§. 33. Ad argumentum 1. in §. 24. dicimus, esse aliud existere, aliud existere heri, aut cras, sive huic vel isti tempori coexistere. Existentia in se spectata, non differt realiter ab essentiâ, sed à parte rei cum eâ est eadem: Alia verò ratio est existentia in hoc vel illo tempore. Hæc omninò ab

Ad 6.

B 3

essen-



essentia realiter differt, non secundum se & quatenus existentia est, sed ratione complicati temporis. Potest ergo existentia in certo tempore considerari, vel materialiter, ut est existentia; sic non differt ab essentia; vel formaliter, & ut in tempore hoc vel illo est; hac ratione ab essentia differt ratione ad significati temporis, quod tamen nobis non adversatur.

Ad 7.

§. 34. Ad 2. Quando dicitur, essentias rerum esse æternas, id non ita intelligi debet, ac si essentia ab æterno aliquod esse habuerint. Hoc enim fidei Christianæ adversatur. Est verò canon verus de perpetua connexione essentiarum cum rebus; estque sensus, quod essentia rei eidem perpetuo conveniat, ita quidem, ut ea sine sua essentia ne concipi quidem possit. Videatur laudatus *Dn. Scal. in reg. phil. sophicæ*. Similiter quando dicitur, essentias esse ingenerabiles & incorruptibiles, id simpliciter & absolute intellectum est falsissimum. Isto modo tolerari potest, si sensus sit, essentiam in re, eam manente, per generationes & corruptiones physicas non tolli; qui tamen longè satis petitus est. Hæc verò omnia etiam existentia conveniunt, ut reddetur post paulò manifestum.

Ad 8.

§. 35. Ad 3. Resp. verbis *Comptoni c. l. n. 13. Si res aliqua concipiatur, habens suam entitatem & essentiam, non posse eam concipi sine existentia, cum habere essentiam actu, sit actu existere; si verò concipiatur non habens existentiam, sed sub negatione illius, concipitur etiam sub negatione essentia; res enim quæ non habet existentiam, non habet essentiam.* Hæc ille rectissime.

Q. 3. Cui conveniat existentia?  
§. 36. Eviçto nunc, existentiam ab essentia non differere realiter, ad plurimas alias quæstiones promptissima est responsio. Et quidem 1. quæritur: Cuiam conveniat existentia? Nos dicimus, omnem rem reverà existere, sive universalis, sive particularis; sive substantia, sive accidens ea fuerit. Cum enim existentia non differat realiter ab actuali essentia; jam autem omne ens, sive substantia sit, sive accidens, talem essentiam habeat; necessariò sequitur, omne ens habere existentiam.

§. 37. Potest id ex superabundanti de accidente probari fusiùs ex illius definitione. Dicitur autem *lib. Categ. c. 12.* quòd sit id, quod rei alicui inest, non tanquam pars, nec potest se junctim ab eo, in quo est, consistere. Contra quam quàm plurima, quæ unicuique, qui modò, Logicorum libellos per transmissam quasi inspexerit, nota esse possunt, objiciant. Nos autem istis argutiusculis neutrquam moti, parvo, eoque facili negotio ex ipsa definitione demonstratum dabitur, existentiam accidentibus denegari non posse, sed illis æque ac substantiis competere, cum dicantur rei inesse, nec posse se junctim ab eo, in quo sunt, existere. Si enim inesse debent, nec separatim possunt existere, necessum est, ut existant. Sicuti enim subsistere præsupponit existere, ita etiam inesse, nec posse separatim existere, præsupponit existere.

§. 38. Atque ex his percipitur, quàm absurde *Tho. Thomistarum mista*, cum primis *Jacobus Zabarella* impugnaverint *Scotum*, error qui primæ materiæ actum entitativum tribuit. Concedit enim *Zabarella* cum *Thomistis*, materiam primam existere; Cum ergo per actum entitativum nihil aliud, quàm existentia intelligatur, quæ fronte materiæ primæ eundem denegare audeant, non apparet. Ut tamen res clarior reddatur, *Zabarella* in forum vocabimus, ut, quomodò causam suam firmet, audiamus.

§. 39. Iste ergò in *lib. 2. c. 2. de materiâ primâ* Scotisticam sententiam his impugnat verbis: *Scoti de actu entitativo sententia, primo quidem aspectu speciem quandam veritatis habet, at, si benè consideretur, falsa est tum secundum Aristotelicam, tum secundum veram Philosophiam. Vanum enim est, alium actum ponere, præter formalem.* Et paulò ante: *ante omnia, ait, dicere debet Scotus; an actus entitativus sit aliquid, an nihil. Nam, si nihil est, ergò non datur. Si vero aliquid, videndum, quidnam sit. Igitur ne ipsum cum actu formali confundamus, consideremus illum, qui attribuitur materiæ primæ, quæ secundum se nullum habet actum formalem. Actus igitur, quem in materiâ primâ Scotus ponit, si est aliquid, vel est substantia vel accidens; accidens quidem esse non potest, quia secundum Scotum nihil aliud est actus entitativus, quam*  
entitas



entitas realis, entitas autem materia nihil aliud est, quàm materia ipsa; Non potest ergò actus entitativus esse accidens, nisi materia sit accidens; quod quidè Scotus non diceret: Ergò est est substantia. Atqui substantia secundum Aristotelem dividitur in materiam formam & compositum. Forma quidè esse non potest, quùm Scotus distinguat maximè actum hunc entitativum ab actu formali. Multo minus est aliquid compositum, quia sequeretur in entitate materia esse compositionem materia cum formâ, & actum hunc non nisi formalem, quorum neutrum concederet Scotus. Si verò est materia, vel est materia materia vel ipsamet materia. Hanc igitur entitatem actum appellare, ita vanum est, ut ne mente quidem concipi possit; cum potius natura materia contrarium nomen omnes Philosophi attribuerint, nempe nomen potentia, & dixerint, ejus naturam in hoc esse constitutam, ut sit ens potestate; potestas autem opponitur actui. Quare, cum materia sit simplex, si ejus natura ea est, ut sit potentia, eadem non potest esse actus. Et quibusdam interjectis pergit: Quoniam igitur manifestum est, non dari potentiam objectivam, distinctam re ipsâ ab activâ & passivâ, sequitur etiam vanum esse actum entitativum & distinctum à formali; cum enim ex potentia illâ objectivâ induxerit Scotus hujus actus necessitatem, eâ sublata, hunc quoque, corrumpere, vel ab actu formali non distinguere, necesse est. Reverà enim non datur alius actus, & hic unus respondet omni potentia, tam activâ quàm passivâ. Hæc illo.

Rejicitur.

§. 40. Verùm hæc omnia nullius sunt momenti. Ut enim diximus, per actum entitativum intelligitur existentia, quæ optimo jure eo insignitur titulo, vid. §. 4. Hinc concedimus, actum entitativum materię esse substantiam ab ipsâ materia non diversam, adeoque ipsam materiam. Quamvis huc nos non adigat divisio Aristotelica, quæ satis imperfecta est, multasque sub se substantias non comprehendit

§. 41. Sed regerit Zabarella quòd materia sit potentia; forsan Aristotelis autoritate allectus, qui id clarè lib. II. Metaph. cap. 1. & lib. XII. Metaph. cap. II. innuit: materia, inquit, ens, non est actus, sed tantum potentia. Et lib. X. Metaph. cap. II. & alibi vocat eam potentia ens, actum autem non ens. Ergò, infert Zabarella, non est actus sive non habet actum entitativum. Verum neque hoc adversatur Scoto, qui dudum loco cit. quest. I. fol.

fol. 610. C. hoc dubium pluribus, quæ charta & tempus adscribi non patitur, exploserat. Ut Zabarella satisfaciamus, monemus, 1. aliud esse potentia, & aliud potentiam esse; illud tollit actum; hoc verò cum actu stare potest. Ita anima rationalis & actus & actus est; nihilominus tamen etiam potentia volendi & intelligendi. 2. Aliud est potentia ad esse proprium, aliud ad esse alterius: Illud omni caret actu, hoc non item, sed tantum eo, ad quem est in potentia. Jam materia prima & potentia est, & potentia; non ad suum esse, sed ad esse formæ & compositi: ideò in se spectata caret quidem actu formali; quia tamen reverà est, aliquo actu est prædita, qui est actus entitativus. Quod tandem subjungit Zabarella de potentia objectivâ, ad id dicimus 1. frustra eam negari. Angelo enim possibili convenit non repugnantia ad existendum, s. potentia objectiva, quæ tamen nec activa, nec passiva, sed non ens est. 2. Posito, non dari potentiam objectivam, neque quicquam unquam fuisse in eâ, adhuc tamen entibus, hoc ipso, quòd existerent, conveniret actus entitativus.

§. 42. Quibus succedit alia quæstio, an quævis res Qu. 2. an habeat propriam existentiam? Ubi tanquam certum sine pro-quavis res batione ponimus, posse aliquid existere existentia ejus, quod habeat pronon realiter, sed solâ ratione diversum est. Sic universalia priam existunt in singularibus, eorumque existentia existunt. Pertinet potentiam? huc, quod docet Suarez. Disp. Metaph. §. sect. I. n. 4. Singularia existere immediatè; universalia autem mediatè, mediantibus scilicet singularibus, quibus insunt. An autem fieri possit, ut aliquid existat existentia ejus, quod realiter diversum est, de eo non exigua lis est.

§. 43. Philippus à Sanctissimâ Trinitate statuit, huma Neg. nam Christi naturam propriâ carere existentia, & existere ex stentia τὸ λόγῳ; id quod tamen sine fundamento asseri, jam supra diximus. Idem e. l. art. 6 autor est, quod Soto I. Phys. quest. 6. statuatur, accidentia non habere propriam existentiam, sed existere formaliter per existentiam substantiæ. Idem art. 5. c. l. asserit, in composito physico non esse plures existentias partiales proprias, sed partes existere existentia totius.



totius. Huc pertinet, quod quidam Thomistæ in materia primæ propriam denegent existentiam, sed eandem per formæ existentiam existere affirmant. Rationes pro hisce sententiis subjungeremus, si iis robur inesset, & chartarum angustia id non prohiberet.

*Affirmatur & probatur.*

§. 44. Contraria sententia est illorum omnium, qui existentiam ab essentiâ non realiter distinctam esse volunt; cum quibus & nos non possumus non facere. Argumentamur: Si quævis res habet essentiâ propriam, ergo non existit existentia alienâ. Sed prius est verum. E. & posterius. Major clara est, quia existentia & essentiâ non differunt realiter. Absurda ergo sunt omnia, quæ in §. præced. adducta fuerunt; in specie quod de materia dicitur, innumera trahit fecum incommoda. Si enim ea propria existentia destituta, existeret existentia formæ, quoties forma periret, existentiam suam amitteret, & ita interiret; quoties etiam forma fieret, existentiam novam acquireret, & de novo produceretur: quæ sunt absurdissima. Plura videantur passim apud Doctores Physicos & Metaphysicos.

*Q. 3. An existentia sit substantia vel accidens?*

§. 45. Ex quibus ad aliam etiam quæstionem supplevitur responsio: an scilicet existentia sit substantia, an verò substantia vel accidens? Avicenna tribuitur, quod existentiam accidens esse statuerit, s. *Metaph.* asserens, ens accidentaliter dici de creaturis, quia de formali significet esse, quod eis accidat. Nos cum iis, cum quibus hactenus fecimus, dicimus, quandam existentiam esse substantiam, & quandam esse accidens. Ratio est in promatu: quia existentia substantiæ à substantiâ, & existentia accidentis ab accidente realiter non differt. E. existentia substantiæ est substantia; & existentia accidentis accidens. Quod verò existentiam in genere spectatam concernit, satis patet, eam nec substantiam esse, nec accidens. Universali enim talis assignandus conceptus, qui cuiusvis particulari communis est; quemadmodum non licet animali assignare conceptum rationalitatis, quia ea non cuiusvis animali convenit, sed soli homini. Quia itaque existentia ut sic, abstrahit ab existentia substantiâ & accidentali; ideo eidem talis assignatur.

gnatur.

gnandus venit conceptus, qui utrique conveniat. Talis verò nec substantia est nec accidens: quia nec quævis existentia est accidens, nec quævis est substantia.

§. 46. Major controversia est, an existentia creaturarum sit accidens prædicabile? Affirmat hoc iterum *Philippus à Sanctissimâ Trinitate. c. l. a. 1.* videturque probari posse facile. Passim enim docent Philosophi, existentiam rebus creatis contingenter convenire, cum esse & non esse possint. Unde nemo est, qui propositionem hanc; *Petrus existit, accidentalem esse*, non pronunciet.

*Q. 4. An existentia sit accidens prædicabile?*

*A.*

§. 47. Ut ut verò hæc primâ fronte veritatis speciem præ se ferre videantur, cur tamen nostrum iis adjiciamus calculum, nondum videmus. Argumentamur ex dictis ita: Quicquid non differt realiter ab essentiâ, id non est ejus accidens. Sed existentia ab essentiâ non differt realiter. Ergo non est ejus accidens. Major per se clara; minor supra probata est. Stat ergo conclusio.

§. 48. Ut hæc clariora fiant, decidendum est: an existentia ab essentiâ differat ratione? Possumus autem loqui vel de ente in genere spectato, vel de entis inferioribus, seu de ente in particulari. Si de ente in genere seu in universali sermo sit, dicendum, existentiam ab ejus essentiâ nec verè, nec ratione differre. Ens enim formaliter importat existentiam, prætereaque nihil involvit. Ergo ab essentiâ ejusdem non differt, ne ratione quidem, nostroque concipiendi modo.

*Q. 5. An existentia ab essentiâ differat ratione?*

*A. Assert. 1.*

§. 49. Quod verò nonnulli ens definiunt per hoc, quod sit id, cui non repugnat existere, rationem formalem, entis non exprimunt, sed assignant definitionem, vel si mavis, descriptionem justo latiore. Rosa enim in hyeme & quodlibet ens potentia est non ens, ipsi tamen non repugnat, ut existat. Id quod *Aristoteles* ipse edocet perspicue *9. Met. c. 3.* *Non entibus, inquit, non attribuunt ipsum moveri, sed alias quasdam prædicationes, ut intelligibilia, & desiderabilia esse.* τῶν γὰρ μὴ ὄντων, ἐν τῷ δυνάμει ὄντων: ἐν δὲ τῷ ὄντι ἐν τῷ ἀρχαίῳ ὄντι. i. e. Non entium enim quadam potentia sunt, non autem sunt, quia actu non sunt.

*Nota.*



sunt. Constituit hinc ea, quæ potentiâ sunt, inter non entia, additque rationem, cur ea sint non entia; quia scilicet actu non sunt.

Obj. §. 50. Dicis, locum istum nihil probare, quia Aristoteles non dicat, ea quæ potentiâ sunt, non esse entia, sed ea non esse seu existere. Unde etiam Forseta in hunc locum ait: sensus est: Eorum quæ actu non existunt, quadam potentiâ sunt, ac proinde possibilia, quadam non sunt potentiâ, sed impossibilia. Priora dicuntur non esse, quia actu non sunt; posteriora verò, quia esse non possunt, ut fragmenta ea, quæ contradicunt onem aliquam, volunt. Unde patet, priora posse dici entia, etsi actu non sunt; posteriora verò non item, quia actu esse non possunt: Utraque tamen sæpe dicuntur non entia, quòd actu non existant. Hæc ille.

Resp. §. 51. Verùm hæc obiectio facilè solvitur. Philosopho eivz idem est quod ens esse; Unde is negat ea, quæ potentiâ sunt, entia esse, quia actu non sunt. Quòd verò non intendat eum sensum, quem ei tribuit obiectio, facilè patet. Valdè, enim ridiculum esset, ut benè observat Mendoza c. l. §. 17. si Aristoteles ita colligeret: quæ non existunt actu, sed sunt potentiâ, non existunt, quia non existunt, seu quia actu non sunt. Ergò omninò alius, nempe quem antè fecimus, sensus Philosopho est adscribendus, adeoque manet, secundùm Philosophum ens potentiâ non esse simpliciter & sine appposito.

§. 52. Eandem sententiam amplectitur Thomas, variis in locis à Mendoza citatis; quem sequuntur recentiores, quos inter sunt desideratissimi nostri Præceptores, B. Stahlius & Slevogtius; ille in discurs. ad Tabul. Metaph. 2. hic in disp. de Ente possibili §. 9. Ne autem nudâ videamur pugnare auctoritate, cum hoc ita argumentamur: Si possibile, antequam est vel fit à DEO, est Ens & habet verum esse reale, tunc esse reale illud est vel creatum, vel increatum. Creatum esse non potest; implicat enim, aliquid esse creatum, antequam creetur. Nec potest esse increatum, quia iterum implicat, aliquid increatum esse & independens, & tamen esse possibile, ut creetur. Quæ contrà urgeri solent, vide soluta apud Mendoz. c. l.

§. 53. Ex his fluit, Existentiam esse de cuiusvis entis in Assert. 2. particulari essentiâ. Hoc ipso enim quòd aliquid ens est, importat existentiam, præter quam tamen propriam etiam rationem involvit. In DEO quidem rem ita se habere, facilius conceditur; in aliis tamen etiam rebus id procedere, ex hæcenus dictis clarum est. Ut ita affirmandum omninò sit, in quo vis ente in particulari, tam creatò, quàm increatò inter existentiam & essentiâ discrimen aliquod intercedere, non reale quidem, sed à nostrâ ratione proveniens. Sunt autem duo distinctionis modi; alia differunt ut includens & inclusum, alia ut condistincta, quorum neutrum alterum includit, ut canis & homo. Jam uter distinctionis modus in præsentī locum habeat, obscurum nemini esse potest. Scil. essentiâ & existentia in rebus non differunt ut condistincta, sed ut includens & inclusum, cum existentia sit pars essentiæ.

§. 54. Ex quibus aliud fluit consecutarium, non dari compositionem ex esse & essentiâ, secus ac vulgò arbitrantur. Augmentamur ita: Omnis compositio tam realis, quàm rationis requirit extrema condistincta. At verò existentia & essentiâ non sunt condistincta. E. non potest ex iis dari compositio. Minor jam patuit. Major etiam in dubium vocari non potest. Hinc nemo dicit v. g. Petrum esse compositum, ex humanitate & animalitate; hanc solam ob rationem, quia animal in homine formaliter includitur.

§. 55. Ut autem ea, quæ §. 46. afferebantur, dissipemus, dicimus, existentiam entis creati posse considerari vel respectu essentiæ entis illius cui convenit, vel in se. Si in se spectetur, non est necessaria: cum ens creatum etiam possit non esse. Si verò consideretur respectivè, nempe respectu essentiæ entis, tum non est contingens. Ut enim aliquid ens sit, necessariò requiritur, ut existat. Similiter animalitas Petri, si in se spectetur, est quid contingens, esseque & non esse potest: Spectata tamen respectivè & comparata cum ipso Petro, non est contingens. Ut enim aliquid Petrus sit, animalitas necessariò requiritur.

§. 56. Quòd verò attinet eam propositionem: Petrus



*trus existit*; dicimus eam dupliciter posse sumi. 1. absolute. 2. cum conditione subjecti. Priori modo hunc habet sensum: Existencia Petri jam datur, Petrus existit hoc tempore sive coexistit huic tempori: quomodo sane in communi loquendi usu illam capi deprehendimus. Hac ratione non est essentialis, sed accidentalis ob tempus connotatum, quod Petro in se spectato contingenter convenit. Si vero cum conditione subjecti sumatur, h. m. Si aliquid est Petrus, existit, sic omnino essentialis est.

*Obj.* S. 57. Nec est, ut dicas: propositiones essentielles esse & manere essentielles, sive absolute sive cum conditione spectentur. Falsum enim hoc est: Propositio essentialis & aeternae veritatis, absolute spectata potest certo in casu fieri falsa, v. g. si dico; *Petrus est animal*, hæc falsa fuit, antequam Petrus esset. Non entis enim nulla sunt prædicata: quia autem Petrus antequam esset, erat non ens, qui potest dici, ipsum fuisse animal? Propositiones ergo essentielles (de rebus creatis quidem formatæ) essentielles non sunt ac aeternae veritatis, nisi cum conditione, prædicto accipiantur modo.

*Resp.* S. 58. Quomodo controversa ista propositio: *Petrus existit*, essentialis dici queat, nunc patet. Consentit nobiscum hæc in doctrinâ Carleton. c. l. sect. 2. n. 7. quando ait: *Resp. cum Suarez. d. 31. Met. s. 12. n. 47. si hæc propositio sumatur in sensu conditionato, ita ut faciat hunc sensum; Si est homo, existit, esse etiam propositionem aeternae veritatis, nec enim quisquam ab aeterno esset homo, nisi ab aeterno esset & existoret. Simpliciter tamen neganda est hæc propositio, & censenda falsa. Esto enim, aliquem verum, sensum facere possit; quia tamen juxta communem usum & acceptionem omnium facit sensum absolutum, non conditionatum, idcirco simpliciter censetur falsa. Hæc ille. Quibus etiam præsentem Disputationem claudimus.*

Quàm.



QVàm Sophiæ purò stagent  
tua pectora succô,  
Hoc, *Sommere*, docet specimen,  
quod præmia spondet.

*Doctiss. Dn. Respondenti  
gratulab. de prope abat*

Johannes Frischmuth  
Lingg. Sacr. Prof. P.

### Sonnet.

**S**hatten Jebus Hängst' den federleichten Wagen  
Nach langer Winters' Reiß' dort bey den Seyn  
(then hin /  
Welch weit entfernet Volck nicht kennet unser Sinn /  
Mit gütigen Gesicht kaum Wolcken an getragen;  
So muste / Werther Freund / deins Fleisches Blüht vor /  
ragen /  
So mussten deine Sinn / wo fluges Volck regire  
Und einen dappfern Geist mit Weiser List nachspühret /

Ar. F





Auff den gelehrten Thron von hohen dingen sagen.  
Zwar deines Fleisses Blüthe jüngst hoffte Frucht zu treiben  
Und seiner Aste Stamm der nachweld ein Verleibn ;  
Sie aber wurde bald von rauhen Wind geschlagen/  
Dass ihre Frucht abfiel : nu Blüthe die ander Frucht  
Damit sie überkom dass/ was zuvor gesucht :  
Gewiß zur Sommerzeit wird Purpurfrucht sie trax  
(gen.

Also meinete und Wünschete seinen  
Liebge Ehrten Freund  
N. B. V. A.

---

Quid SOMMERE paras ? quæ TE SO-  
(LERTIA cœpit?  
Anne tuo ingenio placet EXISTENTIA  
(docto?  
Hocopus, hic labor ! opus aſt ſit, ſit labor  
(amplus  
Contra duntaxat Tu confidentior ito  
Laudis amore tuæ fidæ ſimul artis honore,  
Apportent auſis ſic digna brabea ſorores.

*Ita Per-Eximio atq. præſantiſſimo Dn. hujus  
diſputationis Autori & Reſpondenti Amico ac  
ſympatriota ſuo oculis dilecto gratulari vo-  
luit, debuit*



Johann Heinr. Brömelius.

EXERCITATIO ACADEMICA V.  
DE  
REGNO,

QUAM  
DEi & Superiorum indultu,  
PRÆSIDE

M. CHRISTOPHORO HEINRICO  
LOEBERO, VINARIENSI, AMPLISSIMÆ FA-  
CULTATIS Philosophicæ Adjuncto,

*publicè habendam*

*exhibet*

JOHANNES Söllingh/ Marco-Gwestphalus,

AUTOR.

*Ad d. Martii*

H. L. Q. C.

---

GENÆ  
PRÆLO FREYSCHMIDIANO  
Anno M. DCLVIII.



File

13